



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. V. Quid tenendum, si Fundatio sit tam exigua, ut v. g. pro uno
Anniversario fluant defacto tantùm 7. vel. 8. crucigen &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

QUESTIO. V.

Quid tenendum, si fundatio sit tam exigua, v. g. si pro uno anniversario suant defacto tantum 7. vel 8. X. Et.

Quamvis hæc quæstio in præsentem casu cesset supposita decisione quæstionis tertiæ, ubi obligationem ad anniversaria vi præscriptionis extinctam esse docui, factâ tamen hypothese, quòd non sit extincta, Dicendum cum communi 1. Si reditus sint admodum imminuti, vel mutatis temporibus definant esse sufficientes & proportionati (ut olim fuerint proportionati) ad competens stipendium pro Missâ vel Sacro anniversario, & quidem stabiliter, non esse in potestate privatorum omittere Missas, vel imminuere anniversaria propriâ auctoritate: aliud tamen Doctores censent, si tantum pro uno vel altero anno reditus non fluxissent omnes, & sufficientes, tunc enim beneficiatis permittunt remittere aliquid de sua obligatione pro rata fructuum non perceptorum. La Croix *lo. cit.* Dicendum 2. licitum tamen esse Episcopo reductionem stabilem Missarum,

& Anniversariorum facere in tali casu, seu Missas ad minorem numerum reducere, saltem illas, quæ non in fundatione primæva sunt constitutæ, sed postea supervenerunt ex relictis Defunctorum, vel conventione Fidelium, ut colligunt ex Trident. *Sess. 25. c. 4. de Regular.* etiam extraSynodum dicecesanam, ut probat consuetudo nostræ Germaniæ, imò Navarr. *Manual. c. 25. n. 138.* putat, nec spectato Jure & Tridentino, opus esse, ut id fiat in Synodo. Aliud multi tenent de missis in ipsa fundatione primæva præscriptis secundum Trid. *lo. cit.* Decisiones Congreg. Cardinal. & Constitutiones Urb. VIII. & Innoc. XII. quamvis Gobath etiam de his teneat contrarium *tract. 3. n. 589.* cum Palao & Tambur. asserens, hoc observari in diocesi Constantiensi in praxi. At non versamur in casu, quo constituta sunt onera in primæva fundatione.

QUESTIO VI.

An casu, quo subsistat onus Anniversariorum, facienda sit omnium omissorum compensatio?

Supposito hoc onere, quod tamen in præsentem ad quæstionem 3. subsistere negavimus, & hic iterum notamus, quòd præscriptio non tantum